



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

S. Petri Gandense, seu Bauonicum, & S. petri Blandiniense coenobia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

S. Petri Gandense, seu Bauonicum, & S. Petri Blandiniense cœnobium.

SANCTVS Amandus, Traiecti ad Mosam Episcopus, illustris per Galliam Belgicam doctrinæ Euangelicæ præcoxstitit. Huic initia debent sua Gandense seu Bauonicum, Blandiniense, Elnonense & Marchianense cœnobium, cum opulenta, tum perantiqua. De prioris vtriusque institutione Philippus ab Eleemosyna, Abbas II. cœnobij Bonæ Spei, Ord. Præmonstratensis, apud Brinichium Hannoniæ opidum, vir longè eruditissimus, & S. Bernardo Abbati Clareuallensi olim familiaris sic scribit: Viam vniuersæ carnis ingrediente Lothario Rege, successor ei constituitur Dagobertus, sicut regiminis, sic virtutis & pietatis paternæ strenuus imitator, Quo regnante beatus Amandus, ab vrbe Roma regrediens, ministerium verbi, sicut assueuerat, cœpit diligentius exercere, & animarum lucra profectu diuini muneris operari. Huius rei gratia, Gandauum progreditur, & sterilitatem gentis incredulæ fecunditate diuini germinis satagit adimplere. Hic vt liberius securiusque possit in Euangelicæ sationis opus assurgere, interueniente sanctæ recordationis Aichario Nouiomensi Pontifice, à præfato Rege suscepit epistolas, vt nullus verbum vitæ, iugum fidei, sacramenta gratiæ detrectaret, sicque Regi cælesti, Rege militante terreno, velociter curreret sermo

san.

*In historia
vita S. A-
mandi, qua
M. S. exstat
Elnone &
alibi,*

sanctus, & in exitium mortis, iugulum-
que diaboli, duo gladij conuenirent; quia
felix & iucunda est communio, cum ad clas-
sicum militiae spiritualis erigitur terrenae fa-
tellitium dignitatis.

Populus autem ille sicut vber eglebæ, sic
vbertate gratiæ sterilis, & ieiunus, fanatici
erroris cultibus, & idolorum sacrificijs infi-
stebat. Sicque instigante salutis aduersario,
dura fronte, & indomabili corde, pacis æter-
næ consilium respuebat, & salutaribus mo-
nitis ceruicoso reluctabatur adnisu. Saage-
bat nihilominus vir Domini studio pertina-
ci & iugi opera, vt in diuersoria mortis indu-
ctos, in regnum vitæ, per gratiam sanctifica-
tionis educeret. Renitebatur impietas pie-
tatis obsequijs, & ministrum vitæ frequenti-
bus ad mortem trahere moliebatur insidijs.
Ille speretâ sui corporis morte, sæpenumerò
cæsus, affectus contumelijs, pulsatus iniurijs,
opprobrijs lacepsitus, frequenter præcipita-
tus in flumen, ab ipsis etiam mulierculis per-
secutionis iniuriam sustinebat. Fratres ita-
que, qui cum nimia deuincti caritate secuti
fuerant, & in opere Dei præstabant familia-
re contubernium, timore mortis & inedia
squalore compulsi, fracti animo recesserunt,
relicto eo ad propria remeantes. Ille ne quæ
grauaret, & vt sine sumtu poneret Euangeli-
um, proprijs manibus laborabat, vnde viue-
ret, & vt pro facultate ministraret necessita-
tem patientibus.

Nihil

Nihil est tam arduum, tamque difficile, quod non expugnet opera pertinax, & frequens lima complanet: maximè cum diligentia comes gratia suffragatur. Aperitur tandem laboribus sanctis ostium grande, & magnatibus, ad fidem cum populo confluentibus, vir sanctus in virtute Dei confringit idola, templa destruit, altaria demolitur, cultum miseræ superstitionis excludit, & abdicat deceptæ gentilitatis errores. Ad laudem igitur & gloriam nominis Dei, vivificæ crucis erigitur triumphale vexillum, & mutato ritu pro fidelibus offeruntur hostiæ salutare. A edificatur in eodem loco fidelium sumtibus fabrica celebris, quæ in fidei domicilium solemnibus edita sacramentis, sub Apostolorum principis honore & nomine, beati Amandi ministerio, consecratur. Constructitur item altera cultibus diuinis Ecclesia in loco, quem blandinium vocare consueverat voluptatum sectatrix prisca gentilitas, eo quod blanditijs lenis, & amœnitate præcipuus videretur. Vbi Deo seruentium probata constituens officia clericorum, curæ pastoralis officium discipulo suo, viro venerabili tradidit Floreberto. Sub illius felici magisterio sanctus Bauo secretum votiæ reclusionis intrauit, postquam à vanitare seculi, beati Amandi prædicatione, conversus est, & Ecclesiastico ritu benedictionis gratiâ tonsuratus. In qua vigilijs, ieiunijs, orationibus conuenienter intentus, seipsum Deo Pa-

tri ho-

tri hostiam viuam, sanctam, beneplacentem iuxta institutionem viri Dei, satagebat fideliter exhibere.

Hactenus Philippus ab Eleemosina; ex cuius verbis illud effici videtur, in Blandiniensi, vt & in alijs plerisque nostratibus cœnobijs vetustioribus, à prima institutione, non monachos, sed clericos regulariter in communi vixisse. Idem de Gandensi seu Bauonico cœnobio iam pridem Molanus, vir sacre nostratis historia peritissimus adnotauit, Vt vt sit, certò constat B. Gerardum Abbatem Broniensem, anno nongentesimo quadragesimo primo, pulsus clericis, monasticam apud Blandinienses disciplinam instituisse.

In Natal.
SS. Belgij
1. Octob.

Est autem Blandiniense S. Petri cœnobium intra muros hodie vrbs Gandensis in monte Blandinio situm, Flandria Comitum olim Mausoleum, quorum tumulos marmoreos ibi spectari solitos impij Caluinista, vna cum basilica amplissima, anno superioris seculi octauo & septuagesimo, funditus exsciderunt.

Gandense porrò seu Bauonicum cœnobium, à S. Bauone, viro nobilissimo, cuius opibus illud S. Amandus exstruxit, sic nuncupatum, loco plano, ad Scaldis & Lisa fluminum confluentem, olim situm fuit. Cuius quidem loci monachi, Paulo III. Pontifice Maximo indulgente, anno salutis millesimo quingentesimo tricesimo septimo, Kalendis Augusti, Canonicorum, vt loquuntur, secularium vitam sunt amplexi. Qua de re versus hic chronographicus.